C. C. L. Schneider
1819

[illegible]

DIEM NATALEM

REGIS POTENTISSIMI ET CLEMENTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI III.

DIE III. AUG. HOR. XI.

ORATIONE ET RENUNCIATIONE VICTORUM IN CERTAMINIBUS LITERARIIS SOLENNI

CELEBRANDUM INDICIT

VNIVERSITAS LITERARUM VRATISLAVIENSIS.

Schneider C. E. Ch.

PRAEMISSA EST DISPUTATIO DE LOCIS NONNULLIS PHAEDRI PLATONICI.

VRATISLAVIAE MDCCCXIX.

1819

DIEM NATALEM

REGIS POTENTISSIMI ET CLEMENTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI III.

DIE III. AUG. HOR. XI.

ORATIONE ET RENUNCIATIONE VICTORUM IN CERTAMINIBUS LITERARIIS SOLENNI

CELEBRANDUM INDICIT

VNIVERSITAS LITERARUM VRATISLAVIENSIS.

Schneider C. E. Ch.

C. E. Ch. Schneider

PRAEMISSA EST DISPUTATIO DE LOCIS NONNULLIS PHAEDRI PLATONICI.

VRATISLAVIAE MDCCCXIX.

1819

Si verum est, quod existimabat Muretus, nullum hominum genus magis prodesse studiis, quam eos, qui accurate et fideliter operam in purgandis emendandisque veterum monumentis ponunt, ut quisque praestantissimus est veterum scriptorum, ita maxima ejus reliquiarum correctori et emendatori laus debetur. Itaque nos, quibus idem persuasum est, quod fuit Mureto, optime meritum de studiis putamus Im. Bekkerum, cujus opera Platonis dialogi nunc ita emendati sunt, ut in plerisque conjecturae faciendae necessitate sublata interpretando res absolvi possit. Quod quantum sit, non fugit eos, qui sciunt, etiam post Heindorfii, Schleiermacheri, Astii aliorumque curas plurimos in Platone corruptos locos superfuisse, quos si unum hominem, eumque non id unum agentem, non omnes correxisse viderimus, profecto non mirabimur: magis mirabimur, tam multos eum correxisse. Ex utroque genere nonnulla nunc proferre constituimus, non alienum id ab occasione hujus scriptionis rati. Nam celebrandum indicimus diem natalem Regis nostri, qui quum omnino literarum studia liberaliter fovet, tum veterum scriptorum monumenta integritati restituere cupientes et peritos commeatu sumtuque praebendo adjuvat, cujus munificentiae fructus nunc etiam ad Platonis lectores redundavit. Versabitur autem disputatio nostra in Phaedro, et primo agemus de locis duobus, quos a Bekkero recte constitutos accuratius explicandos putamus, deinde tracta-

bimus duo, in quibus aliter scripsisse Platonem existimamus, quam in Bekkeri recensione scriptum est.

Furorem non simpliciter malum esse, Socrates contra suam ipsius et Lysiae orationem, quae amatorem propterea quod sui compos non sit fugiendum contenderant, in altera oratione divini furoris generibus quatuor commemorandis docet, quorum primum vaticinationem, secundum initiationem, tertium poesin contineat, quae omnia humana prudentia, sollertia, arte multo praestantiora esse constet. Atque his tribus non diu immoratur. Sed quartum furorem, quo amatores correptos esse statuit, summo Deorum beneficio hominibus tribui uberius declarat. Itaque primum naturam animi exponit, qua immortalis sit, deinde formam ejus describit similem concretae cuidam ex auriga bigisque pennatis naturae, denique quae faciat quaeque patiatur animus fabulose quidem, sed secundum veritatem enarrat, vivere primum cum Diis, et spectaculo rerum, quae vere sint, frui, tum casu afflictum pennis truncatis ad terram occidere et corpori terrestri inclusum recordatione ac desiderio illarum rerum teneri, illoque semper spectantem pennas aliquando recuperare, sed dum humana studia spernens divinis inhaereat, insaniae crimen apud vulgus subire. His velut fundamentis jactis ita pergit p. 249. D. ed. Steph.

Ἔστι δὴ οὖν δεῦρο ὁ πᾶς ἥκων λόγος περὶ τῆς τετάρτης μανίας, ἣν ὅταν τὸ τῇδέ τις ὁρῶν κάλλος, τοῦ ἀληθοῦς ἀναμιμνησκόμενος, πτερῶταί τε καὶ ἀναπτερούμενος προθυμούμενος ἀναπτέσθαι, ἀδυνατῶν δέ, ὄρνιθος δίκην βλέπων ἄνω, τῶν κάτω δὲ ἀμελῶν, αἰτίαν ἔχει ὡς μανικῶς διακείμενος· ὡς ἄρα αὕτη πασῶν τῶν ἐνθουσιάσεων ἀρίστη τε καὶ ἐξ ἀρίστων τῷ τε ἔχοντι καὶ τῷ κοινωνοῦντι αὐτῆς γίγνεται, καὶ ὅτι ταύτης μετέχων τῆς μανίας ὁ ἐρῶν τῶν καλῶν ἐραστὴς καλεῖται.

Ita Bekkerus hunc locum constituit, membris tamen aliter distinctis, de qua re postea dicetur. Ante Bekkerum vulgo sic legebatur: *ἔστι δὴ οὖν δεῦρο ὁ πᾶς ἥκων λόγος περὶ τῆς τετάρτης μανίας, ἵν' ὅταν τὸ τῇδέ τις ὁρῶν κάλλος, τοῦ ἀληθοῦς ἀναμιμνησκόμενος, ἀναπτερῶταί τε καὶ ἀναπτερούμενος προθυμῆται ἀναπτέσθαι* etc., quae ratio conjunctioni *ὅταν* alterum, quod postulat *τε* post *ἀναπτερῶται*, verbum subjiciens facilius procedentem reddit orationem, ita ut unum supersit, quod paullisper impedire videatur ejus decursum, *δέ* post *ἀδυνατῶν*, quod tamen levius est et multis exemplis offensione carere intelligitur. Sed *προθυμῆται* haud dubie factum

est ab aliquo, qui laboranti verborum compagi subveniendum putaret. Codices Vindobonensis, Monacensis, Gothanus, *) Basileensis secunda et Stobaeus, qui hunc locum in eclogas physicas retulit, (p. 22. ed. Cant.) habent προϑυμούμενος, quod Bekkero placuit, neque immerito. Nam quod deinde ponendum erat, ὄρνιϑος δίκην βλέπῃ ἄνω, τῶν κάτω δὲ ἀμελῇ, id mutata ob participia, quae praecesserunt, structura ad horum similitudinem institutum est, tamquam si τε καὶ abesset. Cujus mutationis exempla quum apud omnes scriptores Graecos inveniuntur, tum plurima in Platonis dialogis exstant, quippe qui genus loquendi familiare et quotidiani sermonis negligentiam sequantur. Altera menda, quam sustulit Bekkerus, erat in verbo ἀναπτερῶται, pro quo edidit πτερῶται, non quo illud per se vitiosum esset, sed quod aperte ex sequenti ἀναπτερούμενος originem traxit, quum codices supra dicti et Hermias ἐπτέρωται habeant, Stobaeus autem proxime vero πτεροῦται. ἐπτέρωται non ob grammaticam rationem sed propterea repudiandum fuit, quod tempus praesens esse debet. Tertium, idque gravius, est ἵν' a Bekkero mutatum in ἣν, quod in codicibus Monacensi et Gothano, et apud Hermiam et Stobaeum legitur. ἵνα duo significat, *ut* et *ubi*. Stephanus, qui in Platone quandoque dormitat, prius hic significari putat, et participio ὁρῶν in coniunctivum ὁρᾷ mutato, ἵνα ἀναπτερῶται idem esse ait quod ἵνα λέγωμεν seu οἰώμεϑα ἀναπτεροῦσϑαι, hoc sensu: *Huc igitur delata oratio nostra est, ut conspecta quis hac terrestri pulchritudine, veram recordatus, pennas recipere dicatur.* Hanc rationem, quae etiam ἔχει in ἔχῃ mutari iubet, ineptam esse patet. Itaque Heindorfius, ignorans apud Stobaeum esse ἣν, ἵνα hic *ubi* significare statuit et referri ad proxima, quae praecesserunt, τῆς τετάρτης μανίας, δεῦρο autem ad illa ὡς ἄρα αὕτη etc. Ceterum προϑυμῆται retinet, et totum locum ita vertit: *Huc igitur descendit omnis haec oratio de quarto furore, in quo quando quis conspecta huius loci pulchritudine verae illius memor pennas induit pennatusque evolare cupit, tum viribus destitutus, avis instar sursum intuens, inferiora autem negligens, in furoris reprehensionem apud vulgus incurrit: esse igitur hunc optimum omnium enthusiasmum.* Aliquanto probabiliorem esse hanc interpretationem particulae ἵνα, etiam Astius sen-

---

*) Codex bombycinus, forma maxima, foliis CVI, pulchre et emendate scriptus, a Sal. Cypriano a. MDCCXXVIII publicae bibliothecae, quae Gothae est, donatus. Scholiorum Hermiae in Phaedrum librum primum et tertium cum ipso dialogo particulatim interposito continet. Folia aliquot perierunt.

sit, eamque et in commentariis et in versione vernacula, quam edidit a. MDCCCXVII, secutus est. Et constat, ἵνα a prosae scriptoribus ad locum referri. Sed hic ad tempus, certe ad conditionem referretur, quod ne poetis quidem licuisse videmus. Recte Seidlerus ad Eurip. El. 433 ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελφὶς „ἵνα cave de tempore intelligas. In praegressa sententia latet *in mari.*" Accedit quod δεῦρο praecessit, cuius ea ratio est, ut ἵνα non ad id referri non possit. Denique vitiose diceretur *in furore* aliquis furoris argui, *quando* conspecta pulchritudine evolare cupiat. Nam haec verba caussam continent furoris, quae effectum necessario antecedit; eo autem tempore, quo quis conspicit pulchrum, non est in furore, sed ingreditur. Quod si quis non nimis exagitandum, et quod infra dicitur αἰτίαν ἔχει ὡς μανικῶς διακείμενος ita cum ἵνα coniungendum statuat, ut sententia haec sit: *in quo furore — versari arguitur*, quasi dictum esset ἵνα — εἶναι αἰτίαν ἔχει, tamen eandem sententiam melius expressam fatebitur, si scriptum fuit ἦν, quod ipsum ad verbum aliquod spectabat, quale est ἔχειν vel μαίνεσθαι, quod deinde interiectis pluribus praetermissum consimili dictioni cessit. Nam αἰτίαν ἔχειν ὡς μανικῶς διακείμενον idem est quod μαίνεσθαι δοκεῖν. His expeditis de sensu primorum verborum videamus, ἔστι δὴ οὖν δεῦρο ὁ πᾶς ἥκων λόγος περὶ τῆς τετάρτης μανίας, quae Heindorfium ad inferiora illa ὡς ἄρα αὕτη etc. retulisse diximus. Atque ex eiusdem versione intelligitur, δεῦρο eum de ea parte orationis totius accepisse, quae significetur verbis ὡς ἄρα αὕτη — hoc modo: *Oratio eo pervenit, ut optimum hunc enthusiasmum esse pronunciandum sit.* Quae ratio quamvis ad nexum sententiarum apta, tamen repudianda est propter usum linguae, quo δεῦρο nunquam ad locum deinde definiendum, sed ad eum, quem tenet loquens, refertur. Itaque Astius in commentariis p. 312 reiecta interpretatione Heindorfii haec verba ita accipit, ac si scriptum esset ὁ πᾶς λόγος, δεῦρο ἥκων, (scribendum erat ὁ δεῦρο ἥκων) ἔστι περὶ τῆς τετάρτης μανίας, *universa haec oratio, hactenus habita et producta, spectat ad quartum furoris genus.* In eadem sententia fuisse videtur Hermias, cuius verba haec sunt (p. 156.): τὸ δ' ὑπερβατὸν τοῦτό ἐστιν· ἔστι δὴ οὖν δεῦρο ὁ πᾶς ἥκων λόγος περὶ τῆς τετάρτης μανίας, ὡς ἄρα αὕτη πασῶν τῶν ἐνθουσιάσεων ἀρίστη καὶ τὰ ἑξῆς. Τὸ λεγόμενον οὖν τοιοῦτόν τί ἐστιν· ἐπεὶ δὴ (c. Goth. ἐπειδὴ) περὶ ἐκείνων τῶν μανιῶν εἰρήκαμεν, πόσα ἀγαθὰ παρέχουσι, περὶ δὲ ταύτης οὐδὲν εἰρήκαμεν, ἰστέον, ὅτι πάντα τὰ εἰρημένα ἀνωτέρω δι' αὐτὴν ἐξεθέμεθα, καὶ λέγει, (sc. πάντα τὰ εἰρημένα ἀνωτέρω, nominativo) ποῖα ἀγαθὰ ἡ ἐρωτικὴ καὶ πῶς παρέχει, καὶ ὅτι ὁ πᾶς ἡμῖν λόγος καὶ ἡ σπουδὴ περὶ ταύτης τῆς ἐρωτικῆς μανίας ἐστιν, ὅτι κρείττων ἐστὶ πασῶν. Sed quae

oratio ita ad aliquid spectat, quemadmodum ad furorem amantium haec, quam adhuc habuit Socrates, ut quasi fundamenta iaciat, quibus ipsa argumenti tractatio instruatur, ea non est περί τινος, sed πρός τι, et quamquam omnia adhuc dicta eo consilio dicta sunt, ut praestantia amoris ostendi posset, tamen de ipsa illa praestantia nondum quicquam commemoratum est. Ac noluisse scriptorem haec ita coniungi, certo indicio sunt particulae δὴ οὖν, quae nexum internum externumque significant. Iam perlegas illa, quae praecesserunt, de statu eorum qui recordatione ad contemplationem rerum coelestium sublati humana contemnentes insani habentur, et senties inepte orationem procedere sic: *Itaque* ad quartum furorem spectant omnia adhuc dicta, esse eum praestantissimum omnium et amorem appellari. Non *itaque* sed *autem* nectere haec debebat. Sensit ipse postea Astius, et in versione locum aliter expressit: *Dahin nun führt unsere ganze bisherige Rede von der vierten Wahnsinnigkeit, wo der Mensch — dem Vorwurfe der Wahnsinnigkeit sich aussetzt, daſs diese Versunkenheit* etc. Eadem fuit Heindorfii sententia, quam refutavimus. Quid ergo verum est? Primum particulae δὴ οὖν arguunt, aliquid hic dici, quod efficiatur e praegressis. Itaque ἔστι non potest ad περὶ τῆς τετάρτης μανίας referri; de hac enim sermonem esse, non nunc demum intelligitur, sed ab initio patuit. Pertinet igitur ad ἥκων et facit periphrasin, usitatam illam in iis, quae temporis notationem accuratiorem postulant, quasi dicas: *nunc id est, quum sermo adest.* Deinde δεῦρο eam partem significat, qua constitutus hoc ipso tempore orator est: *universa oratio de quarto furore in eum, quem nunc tenemus, locum advenit.* Quid ergo? nonne jam aderat? Inchoata quidem erat, sed ultra praefationem nondum egressa, nunc demum incipit argumentum suum tractare, quod indicatur verbis ὡς ἄρα αὕτη etc. Cur autem nunc demum? Ante enim exponendus erat universus animorum status, tum naturalis tum degener et labefactus, et omnino adumbrandus furor, quo corripiantur. Quibus omnibus perfectis erat iam summae totius orationis paratus locus, ut iam posset dici non solum qui esset furor quartus ille, de quo agere instituerat orator, sed etiam optimum esse omnium, et amorem appellari. Itaque sic vertendum: *Nunc igitur adest universa oratio de quarto furore, quo quando quis conspecta huius loci pulchritudine veram recordans, pennas induit, easque recipiens evolandi cupidus sed viribus destitutus avis instar sursum intuens inferioraque negligens laborare insania arguitur, esse scilicet hunc optimum omnium enthusiasmum, tum ipsi furenti tum eiusdem participi, eoque correptum pulchrorum amantem amatorem appellari.* Idem Schleiermacherus sen-

sisse, sed obscurius ad similitudinem exemplaris, reddita etiam in medio positorum *ἀνακολουθίᾳ*, videtur expressisse: *Und hier ist nun die ganze Rede angekommen von jener vierten Art des Wahnsinns, an welchem derjenige, der bei dem Anblik der hiesigen Schönheit jener wahren sich erinnernd neu befiedert wird, und mit dem wachsenden Gefieder aufzufliegen zwar versucht, unvermögend aber und nur wie ein Vogel hinaufwärts schauend, und was drunten ist gering achtend, beschuldiget wird seelenkrank zu sein, daſs nämlich diese unter allen Begeisterungen als die edelste und des edelsten Ursprungs sich erweiset, an dem sowohl, der sie hat, als auch dem sie sich mittheilt, und daſs, wer, dieses Wahnsinns theilhaftig, die Schönen liebt, ein Liebhaber genannt wird.*

Haec si probabiliter disputata sunt, non apta est distinctio membrorum, qua Bekkerus post *ἀναπτέσθαι* colon, post *διακείμενος* autem lineolam *ἀνακολουθίας* indicem posuit.

Exponens in sequentibus Socrates amoris naturam et praestantiam, quomodo fiat, ut amatus redamet amatorem, explicat. Flumen pulchritudinis ab amato oriundum intrare amatorem, indeque relapsum redundare ad amatum, et huius quoque pennas irrigare, mentemque amore afficere.

Ἐρᾷ μὲν οὖν, inquit p. 255. D, *ὅτου δέ, ἀπορεῖ· καὶ οὔθ᾽ ὅ τι πέπονθεν οἶδεν οὐδ᾽ ἔχει φράσαι, ἀλλ᾽ οἷον ἀπ᾽ ἄλλου ὀφθαλμίας ἀπολελαυκὼς πρόφασιν εἰπεῖν οὐκ ἔχει, ὥσπερ δὲ ἐν κατόπτρῳ ἐν τῷ ἐρῶντι ἑαυτὸν ὁρῶν λέληθε. καὶ ὅταν μὲν ἐκεῖνος παρῇ, λήγει κατὰ ταὐτὰ ἐκείνῳ τῆς ὀδύνης· ὅταν δὲ ἀπῇ, κατὰ ταὐτὰ αὖ ποθεῖ καὶ ποθεῖται, εἴδωλον ἔρωτος ἀντέρωτα ἔχων· καλεῖ δὲ αὐτὸν καὶ οἴεται οὐκ ἔρωτα ἀλλὰ φιλίαν εἶναι.*

In extremis ante Bekkerum legebatur *εἴδωλον ἔρωτος ἀντ᾽ ἔρωτος ἔχων*: quae verba mirum est nemini suspicionem movisse. Quid enim? Nonne amorem disertis verbis tribuit amato Socrates, quum dicit *ἐρᾷ μὲν οὖν*? Quomodo igitur nunc aliquid ei tribuit, quod non sit amor, sed vana quaedam amoris species, quasi nubes pro Iunone? Sic enim *εἴδωλον* interpretantur, ut oppositum sit *τῷ ἀληθεῖ*. Sed totus locus ostendit, amati amorem non minus verum dici, quam amantis, sed debiliorem. *ἐπιθυμεῖ δὲ ἐκείνῳ παραπλησίως μέν, ἀσθενεστέρως δέ, ὁρᾶν, ἅπτεσθαι, φιλεῖν, συγκατακεῖσθαι* statim subiicit Socrates. Itaque *εἴδωλον* dicit, non quod speciem tantum praeferat amoris, nec ipse amor sit, sed eodem modo, quo sonus repercussus (*ἠχὼ ἀπὸ λείων τε καὶ στερεῶν ἁλλομένη*, ut est in prae-

gressis) imago seu εἴδωλον est vocis, non minus vere ad aures accidens quam ipsa vox, sed debilior. Hinc intelligitur ne sic quidem tolerari posse ἀντ' ἔρωτος, ut accipiatur de similitudine, quae sit inter affectum amati et amantis, quasi adumbratus quidam et amantis amori respondens amor. Nam etiam sic differentia inter naturam utriusque amoris significaretur, quae ex mente Socratis nulla est. Atque hoc si voluisset, haud dubie articulo addito dixisset ἀντὶ τοῦ ἔρωτος. Quae quum ita sint, optime Bekkerus pro ἀντ' ἔρωτος scripsit ἀντέρωτα, idque plurimorum codicum auctoritate videtur fecisse, quum ita et in codice Vindobonensi, cuius lectiones Astius et Heindorfius multas aut ignorarunt aut non indicarunt, et in Gothano, optimo illo et plerumque cum Bekkeri recensione consentiente, scriptum inveniatur. Neque aliter legit Hermias, cuius verba (p. 172. l. 6) εἴδωλον δὲ (ita Goth. Astius non habet δέ) ἔρωτος τὸν ἀντέρωτά φησι· τὰ δεύτερα δὲ προςάπτει τῷ ἀντέρωτι, ἐπειδὴ καὶ πρωτουργὸν αἴτιόν ἐστι τοῦ ἀντέρωτος ὁ ἔρως perperam intellexit Astius, interpretari eum εἴδωλον ἀντ' ἔρωτος per ἀντέρωτα existimans. (in notis ad versionem p. 226.) De Plutarcho autem tam certum est, quam quod certissimum, qui de Alcibiade, in eius vita p. 193. C, haec habet: καταφρονῶν δ' αὐτὸς ἑαυτοῦ, θαυμάζων δ' ἐκεῖνον (Socratem), ἀγαπῶν δὲ τὴν φιλοφροσύνην, αἰσχυνόμενος δὲ ἀρετήν, ἐλάνθανεν εἴδωλον ἔρωτος, ἤ, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, ἀντέρωτα κτώμενος, quae idem Astius (l. c.) pro corruptis mavult quam pro testimonio habere. Denique locuples accedit testis Ficinus, qui vertit: *mutuum amorem tanquam amoris simulacrum possidens.* Quod autem dicunt, veteres ἀντέρωτα non mutuum amorem dixisse, sed numen quod adversetur amori, firmioribus argumentis opus est, quam quae protulit Böttigerus, V. C., in praefatione ad quartum tomum Ephemeridum literariarum a. MDCCCIII. Quamquam hic artifices tantum, qui Ἀντέρωτα finxerint, deum ἀντίον Ἔρωτι fingere voluisse contendit, de nominis in sermone quotidiano significatione non disputavit, ut etiam qui cum eo faciat, vulgo ἀντέρωτα mutuum amorem significasse, concedere possit. Neque ipsum Böttigerum putamus, propterea quod ἀντέρως apud antiquos numen amoris adversarium fuerit, etiam communem ἀντέρωτος appellationem contenturum apud eosdem illud tantum significare potuisse, quod numini isti item respondeat, ut Ἔρωτι ἔρως, hoc est, repugnantiam et aversationem amoris. Omnino ἀντέρως, si fuit nomen commune, aut amorem mutuum, aut quod instar sit amoris, aut denique amorem adversarium significare potuit. Primum ex analogia colligitur, et e verbo ἀντερᾷν, quod quum alibi, tum apud Aelianum, loco a Suida in Μέλιτος tradito, de redamantibus dicitur: βρα-

δὺν καὶ δυστυχῆ τὸν ἔρωτα ἀντερασθεὶς τούτου· quibus verbis vera Anterotis notatio continetur. Secundum item analogia ostendit nominum *ἀντίκεντρον, ἀντικύων, ἀντίπαις* et aliorum. Atque ita Salmasius in Exercit. Plin. T. 1. p. 399. a. B et Harduinus interpretantur appellationem, qua Plinius H. N. XXXVII, 9 (T. II. p. 784. 5. Hard.) amethystos ob pulchritudinem a nonnullis appellatas refert anterotes. Tertium certum est ex usu nominis *ἀντεραστής*, quod rivalem significat; et *ἀντερᾷν* est amare ita ut adverseris alicui sive amanti, quod est rivalem esse, sive amori tuo aliquo modo obstanti, quomodo est apud Plutarchum in Erotico p. 760. B, *ὅπου καὶ τοῖς τυράννοις ἀντιλέγων μὲν οὐδεὶς οὔτε ἀντιπολιτευόμενός ἐστιν, ἀντερῶντες δὲ πολλοὶ καὶ φιλοτιμούμενοι περὶ τῶν καλῶν καὶ ὡραίων. Ἀκούεται γὰρ ὅτι καὶ Ἀριστογείτων Ἀθηναῖος, καὶ Ἀντιλέων Μεταποντῖνος καὶ Μελάνιππος ὁ Ἀκραγαντῖνος οὐ διεφέροντο τοῖς τυράννοις, πάντα τὰ πράγματα λυμαινομένους καὶ παροινοῦντας ὁρῶντες· ἐπεὶ δὲ τοὺς ἐρωμένους αὐτῶν ἐπείρων, ὥσπερ ἱεροῖς ἀσύλοις καὶ ἀθίκτοις ἀμύνοντες, ἠφείδησαν ἑαυτῶν.* Iam vero unam aliquam ex his tribus significationibus Platonis aetate non usitatam fuisse, non magis ostendi poterit, quam deum *Ἀντέρωτα* eadem aetate tam vulgo notum fuisse, ut communi nomine *ἀντέρωτος* non aliter ad mutuum amorem significandum uti potuerit scriptor, nisi si *Ἀντέρως* eiusdem amoris numen haberetur. Immo ex silentio omnium ante Platonem scriptorum probabiliter aliquis colligat, Anterotem, si iam tum receptus inter numina fuerit, in paucis admodum locis cultum et vulgo prorsus ignotum fuisse. Quisquis igitur fuerit ille, ad iudicium de nostri loci lectione nihil facit. Ceterum errasse virum doctissimum in explicanda Anterotis natura, alia occasione demonstrare conabimur. Nunc ad alterum genus accedamus.

In describenda animorum vita Socrates peragrare eos tradit in duodecim agmina distributos eas regiones, quae inter coelum et terram sint, multisque ibi beatis spectaculis frui, nullo excluso. Tum dicit, p. 247. A:

Ὅταν δὲ δὴ πρὸς δαῖτα καὶ ἐπὶ θοίνην ἴωσιν, ἄκραν ὑπὸ τὴν ὑπουράνιον ἁψῖδα πορεύονται πρὸς ἄναντες ἤδη. τὰ μὲν θεῶν ὀχήματα ἰσοῤῥόπως εὐήνια ὄντα ῥᾳδίως πορεύεται, τὰ δὲ ἄλλα μόγις.

Ita edidit Bekkerus. Ante Heindorfium legebatur *ὅταν δὲ δὴ πρὸς δαῖτά τε καὶ ἐπὶ θοίνην ἴωσιν, ἄκραν ἐπὶ τὴν οὐράνιον ἁψῖδα — τὰ δὲ ἄλλα πορεύονται μόγις.* In quibus *πορεύονται*, quum a quibusdam exemplaribus Stephani, et a codice Vindobonensi abesset, neque a Ficino lectum

videretur, recte delevit Heindorfius. Idem ὑπουράνιον, retento tamen ἐπὶ, scribendum censebat, motus auctoritate codicis Vindobonensis, qui habet ὑπὸ τὴν ὑπουράνιαν, et magis etiam Procli, qui Theologiae Platonicae Lib. IV. cap. 7. disertis verbis affirmat, non οὐράνιον dixisse Platonem illam ἀψῖδα, sed ὑπουράνιον. He ndorfii rationem probaverat Astius, et mutata tantum membrorum dispositione scripserat ὅταν — ἴωσιν, ἄκραν ἐπὶ τὴν ὑπουράνιον ἀψῖδα, πορεύονται πρὸς ἄναντες ἤδη· τὰ μὲν etc. Deinde ad alteram lectionem reversus ὑπὸ τὴν οὐράνιον vel οὐρανίαν ἀψῖδα verum agnovit. Ac Procli quidem auctoritas hac in re flocci non facienda, qui quum videret ὑπουράνιον allegoricae suae huius loci interpretationi apprime convenire, et omnia optime procedere, si οὐρανὸς medius esset inter locum ὑπερουράνιον et ὑπουράνιον, quin genuina esset lectio nullus dubitans, aut in aliis codicibus aliter legi ignorans ὑπουράνιον a Platone scriptum temere pronuntiavit. Idem de Iamblicho et de reliquis dicendum, quos Proclus p. 215 secutum sese scribit, quibus accedit Hermias, qui et ipse totus in allegorica hariolatione est. Quamquam de hoc dubitari potest, nam p. 138 haec habet: τὸ δὲ ἄκραν ὑπὸ τὴν οὐράνιον ἀψῖδα λέγει τὰς προσεχῶς ἐξηρημένας τοῦ οὐρανοῦ τάξεις τῶν θεῶν, ἤ τινας ἄλλας μεταξὺ Οὐρανοῦ καὶ Κρόνου. Contra p. 139: δύο ὄντων ἄκρων, τοῦ μὲν πρὸς τῇ κοίλῃ περιφερείᾳ, τοῦ δὲ πρὸς τῇ κυρτῇ, ὅτε μὲν ἔλεγε τὴν ὑπουράνιον ἀψῖδα, τὴν κοίλην ἐνεδείκνυτο, τουτέστι, τοὺς προσεχῶς ἐξημμένους τοῦ Οὐρανοῦ θεούς· νῦν δὲ τὸ ἔξω καὶ τὸ νῶτον τὴν κυρτὴν εἶπεν. Sed hos mittamus, etiam alibi pravas lectiones secutos, et ipsam illam, quam ferunt, ὑπουράνιον ἀψῖδα inspiciamus. Hermias interiorem partem fornicis coelestis, τὸ κοῖλον, interpretatur. Quod, ut per se non ineptum sit, certe usus linguae vetat accipi. Nam ὑπουράνιον est sub coelo positum, ita ut supra se habeat coelum, non ipsum pars coeli sit. Sic Homerus ὑπουράνιον κλέος dixit et ὑπουράνια πετεηνά. Neque obiici potest, quod idem Titanes ὑποταρταρίους appellat, etiamsi in inferioribus Tartari partibus potius quam sub Tartaro iacentes esse videantur. Nam qui in imo Tartaro iacet, recte sub Tartaro dicitur iacere, quippe quem super Tartarus sit, sicut ὕφαλος est qui supra se mare habet, sive totum sive partem eius, superficiem. Etiam ἄστρον sic dici posset ὑπουράνιον, quod quamvis affixum coelo cogitetur, tamen non pars est coeli, sed subiacet coelo. At ἀψὶς quid est aliud quam coelum ipsum fornicis in modum curvatum? quae si ὑπουράνιος dicitur, diversa a coelo esse significatur, et novus quidam proponi videtur fornix in ea regione positus, quae indicata est verbis τὰ ἐντὸς οὐρανοῦ, idque eo magis videri necesse est, quod in sequentibus

ὑπερουράνιος τόπος commemoratur, itidem diversus a coelo locus supraque illud positus, qui conspiciatur ab animis in tergo coeli versantibus, quem, si ὑπουράνιον ἀψῖδα esse putamus τὸ κοῖλον, τὸ κυρτὸν interpretari consentaneum est, quod fieri nullo modo potest. Sed ut concedamus, ὑπουράνιον ἀψῖδα potuisse dici τὸ κοῖλον τοῦ οὐρανοῦ, et scriptorem propterea quod ὑπερουράνιον τόπον alio modo dicturus erat, non absterreri potuisse, quominus ὑπουράνιον, non κάτω βλέπουσαν vel simile quid poneret, quid caussae fuisse putamus, cur inferiorem coeli partem animos petere tam accurate, ne dicam putide indicaret? An consistentes eos intra coelum facturus erat? Immo egrediuntur mox e coelo, et dorso impositi superna spectant. Et ob hoc ipsum ascendunt, ut exeant et superiorem locum aspiciant. Itaque haec ascensio non melius dici videtur ad inferiorem partem coeli institui, quam si quis iter ex Germania in Galliam susceptum, ad fines Germaniae fieri diceret. An vero cavendum erat, ne per dorsum coeli ascendere viderentur? Id quidem videri nemini poterat, qui intra coelum adhuc versari eos meminisset, praesertim si scriptum erat ὑπὸ τὴν οὐράνιον ἀψῖδα πορεύονται, qua praepositione sub fornice esse et ex subiecta ei regione ad ipsum supra impositum tendere declarabantur. Quare ὑπό pro ἐπί recte reposuit Bekkerus. Videtur autem in hac διττογραφίᾳ caussa esse corruptae lectionis, quod vidit etiam Astius. Nam quum in aliis scriptum esset ἐπὶ, in aliis ὑπὸ τὴν οὐράνιον ἀψῖδα, coniunctim aliquis scripsit ἐπὶ ὑπό, ex quo deinde factum est ἐπὶ τὴν ὑπουράνιον et ὑπὸ τὴν ὑπουράνιον, quod etiam Monacensis liber habet. (In Gothano hic lacuna est, et desunt omnia quae leguntur a p. 240 lin. penult. usque ad p. 260 l. 8. ed. Heindorf.) Sed non una menda hunc locum occupavit. Quis enim non offendatur ratione, qua adiuncta sunt τὰ μὲν θεῶν etc.? Saltem οὖν post μέν adiiciendum erat. Itaque Heindorfius, quum in codice Vindobonensi scriptum legisset πορεύωνται, Platonem sic scripsisse existimabat: ὅταν δὲ δὴ πρὸς δαῖτά τε καὶ ἐπὶ θοίνην ἴωσιν ἄκραν τε ἐπὶ τὴν ὑπουράνιον ἀψῖδα πορεύωνται πρὸς ἄναντες ἤδη, τὰ μὲν θεῶν etc. Heindorfium secutus Schleiermacherus in priori ἐκδόσει vertit: *Wenn sie aber zum Feste und zum Mahle gehen, und in der höchsten Bahn innerhalb des Himmels ganz steil hinauf fahren, dann gehen zwar der Götter Wagen mit gleichem wohlgezügeltem Gespann immer leicht, die andern aber nur mit Mühe*, in altera autem, ascita Bekkeri ratione: — *und gegen die äusserste unterhimmlische Wölbung schon ganz steil aufsteigen.* — Sed ex eo, quod animi ad epulum se conferre dicuntur, nondum intelligitur, eos ad fornicem coelestem per acclive ascendere, atque haec ipsa ascensio

tanti momenti est, ut non videatur appendicis loco ad proxima illa ὅταν — ἴωσιν adiici et obscurari debuisse. Melius certe procederet oratio sic: ὅταν — ἴωσιν, ἄκραν ἐπὶ τὴν ὑπουράνιον ἁψῖδα πρὸς ἄναντες ἤδη, τὰ μὲν θεῶν etc. quae fuit Astii coniectura in comment. p. 296. Sed nimis hoc recedit ab librorum scriptura, quam etiam Ficini versio tuetur: *Cum vero ad convivium ac dapes vadunt sublimes*, (ἄκραν retulit ad δαῖτα καὶ θοίνην, quo modo apud Proclum quoque libro supra dicto p. 217 vulgo distinguitur) *in coelestem circumferentiam proficiscuntur iam ascendentes. Deorum quidem vehicula, apta habenis, aequaliterque librata, facile gradiuntur: alia vero vix.* Corruptum videtur ἤδη, quod hic ineptum est. Nam qui ad summum fornicem tendit, eius iter non potest non acclive esse. Tamen addidit πρὸς ἄναντες, ut hanc ipsam acclivitatem, non aliud quid, caussam laboris deinceps describendi esse indicaret: πρὸς ἄναντες ἤδη dicere non poterat, nisi significare vellet, fieri potuisse, ut nondum acclive esset iter, quod absurdum est. Senties, si vernacula loquentem finxeris: *Wenn sie zum Schmause gehen, so ziehen sie nach dem Scheitelpuncte der himmlischen Wölbung, und nun geht es schon aufwärts.* Sensit etiam Schleiermacherus, et addidit *ganz*, quo facto etiam illae, quae supra dictae sunt, διέξοδοι ἐντὸς οὐρανοῦ, acclives sed aliquanto minus arduae videntur. Sed πρὸς ἄναντες simpliciter est acclive. Neque Proclus ἤδη habet, sed verbis πρὸς ἄναντες orationem terminat, p. 217. Itaque optimum videtur, ἤδη in ᾗ δὴ mutare, et cum sequentibus iungere. Sic paullo post p. 248. B: θόρυβος οὖν καὶ ἅμιλλα καὶ ἱδρὼς ἔσχατος γίγνεται· οὗ δὴ κακίᾳ ἡνιόχων πολλαὶ μὲν χωλεύονται, πολλαὶ δὲ πολλὰ πτερὰ θραύονται. Totus igitur locus sic scribendus est: Ὅταν δὲ δὴ πρὸς δαῖτα καὶ ἐπὶ θοίνην ἴωσιν, ἄκραν ὑπὸ τὴν οὐράνιον ἁψῖδα πορεύονται, πρὸς ἄναντες· ᾗ δὴ τὰ μὲν θεῶν ὀχήματα ἰσοῤῥόπως εὐήνια ὄντα ῥᾳδίως πορεύεται, τὰ δὲ ἄλλα μόγις. *Quum vero ad coenam et epulum eunt, summum fornicem coeli petunt per acclive, qua deorum quidem vehicula utpote aequabilia aptaque habenis facile incedunt, reliqua vero vix.*

Perorata a Socrate palinodia Phaedrus mirifice ea se delectatum esse et iam vereri significat, ne Lysias contemnendus sibi et humilis videatur, si velit aliam ei orationem opponere. Sed hoc ipsum facturum Lysiam non putare, quum orationum conscriptionem nuper quidam vir in re publica versatus ei opprobraverit, eumque per contumeliam λογογράφον dictitaverit. Quem contra Socrates non absterritum iri Lysiam contendit, neque serio istum scriptionem orationum opprobrasse. At Phaedrus potentissi-

mos et gravissimos in re publica viros abstinere ab ea re ait, et scripta relinquere nolle, ne apud posteros Sophistae appellentur. Tum Socrates p. 257. D:

Γλυκὺς ἀγκών, ὦ Φαῖδρε, λέληθέ σε, ὅτι ἀπὸ τοῦ μακροῦ ἀγκῶνος τοῦ κατὰ Νεῖλον ἐκλήθη, καὶ πρὸς τῷ ἀγκῶνι λανθάνει σε, ὅτι οἱ μέγιστον φρονοῦντες τῶν πολιτικῶν μαλιστ' ἐρῶσι λογογραφίας τε καὶ καταλείψεως συγγραμμάτων.

De hoc loco diversissimae sunt interpretum sententiae, quibus examinatis nostram iudicio lectoris subiiciemus. Heindorfius igitur ab antiquis Grammaticis eo discessit, quod proverbio ultra verba *γλυκὺς ἀγκών* extento, *λέληθέ σε* ad idem pertinere censuit, alioquin molestam et ineptam prorsus verbi iterationem in his *καὶ πρὸς τῷ ἀγκῶνι λανθάνει σε* fore existimans. Quod nobis quidem non probavit. Nam si quis e. c. tyrannorum sortem beatam praedicanti diceret: *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ λέληθέ σε*, an propterea, quod proverbium est *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ*, non *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ λέληθέ σε*, moleste aut inepte addere eundem putaremus: *καὶ πρὸς τῷ Διονυσίῳ λανθάνει σε, ὅτι καὶ τυραννεύοντες ἀθλιώτατοί εἰσιν?* Atque ipsius Heindorfii explicatio ita comparata est, ut demtis verbis *λέληθέ σε* proverbii vis integra maneat. Si enim sensus est, quem ille putat, *ignoras quam lubricus hic sit et periculosus locus*, *du weiſst nicht*, *wie verführerisch die Sache ist*, numqui minus proverbialiter ad significandam rem periculosam, etiamsi nemini ignotum sit periculum, dicetur *γλυκὺς ἀγκών?* Accedit quod, si proverbium erat: *ignoras dulcem angulum*, in eam sententiam, quam hic invenit Heindorfius, dici plane non poterat, ut paullo post videbimus. Sed haec ipsa sententia admodum est inepta: *ignoras quam facile quis dulcedine rei captus in fraudem inducatur*, *et scriptoris laudem appetat scribendi facultate destitutus.* Quasi Phaedrus dixisset, potentes et nobiles in re publica ideo libros scribere nolle, ne inscitiae et imperitiae scribendi arguerentur, quod neque dixerat, neque poterat dicere, quum de infamia locutus esset, in quam scriptores quamvis boni ob id ipsum quod scribendo operam dedissent, apud posteros incurrerent, a quibus cum contumelia appellarentur Sophistae. Hoc pudore deterritos optimates a scribendo abstinere dixerat Phaedrus. Cui Socrates, si nihilominus eos dulcedine rei abreptos scribere contenderet, in hanc sententiam respondere debebat: ignoras, quam dulcis res sit, a qua ne metus quidem infamiae abstrahere valeat, atque hanc infamiam uberius deinde

exponere par erat. Facit autem contrarium, et in uno genere, quod legibus scribendis continetur, quam honorificum apud aequales et apud posteros habeatur scriptio, ostendit, cui rei tantum abest ut ignominiam adiunctam significet, ut eos, qui ita scriptores fieri non possint, quum sibi tum aliis miseros videri dicat. Itaque universa sententia et ratio huius loci Heindorfii opinionem falsam esse demonstrat, qui, dum nova via expedire lectorem conatur, non animadvertit, ipsum sibi repugnare. Nam si γλυκὺς ἀγκὼν in proverbio rem lubricam et periculosam significabat, quae dulcedine sua homines allicit et in fraudem inducit, proverbium autem etiam verba λέληθέ σε complectebatur, Socrates non imperitos quosdam scribendi, sed ipsum Phaedrum in fraudem inductum esse dicit. Tertium erravit Heindorfius, quod verba ὅτι ἀπὸ τοῦ μακροῦ ἀγκῶνος τοῦ κατὰ τὸν Νεῖλον ἐκλήθη Platonis esse non posse putavit. *Quid?* inquit, *repentene Grammaticum hic agere Platonem putabimus? An proverbii explicationem ipsam proverbialiter adhiberi potuisse, prorsus ut si quis, adagium illud Est acerba adhibiturus, ita diceret: ignoras, amice, illud, Est acerba, profectum esse a vulpecula illa, uvas non tangente?* Existimavit igitur, Socratem etiam haec, si dixisset, ut partem proverbii dicturum fuisse. Quid enim aliud est proverbii explicationem ipsam proverbialiter adhibere? Atque hoc non minus ineptum ait, quam si quis, proverbium *Est acerba* eo modo, quo indicavit, proferret. In quo exemplo ponere non debebat *ignoras illud*, quae verba non ita sunt in proverbio latino, quemadmodum, secundum Heindorfium, λέληθέ σε in graeco. Quicquid igitur ineptum sit in eo, quem loquentem finxit Heindorfius, id omne, quum in his ipsis *ignoras illud* insit, quae extra proverbium posita tamquam pars proverbii a loquente enunciantur, a Socrate, si quidem verba λέληθέ σε ad proverbium pertinebant, alienum est. Nam si proverbium latinum esset *Ignoras acerbam*, ne Heindorfius quidem reprehenderet eum, qui uberiori illa, quam finxit, explicatione uteretur. Veluti, quum proverbii loco esset *Ignoras te ipsum*, Socrates, si diceret: *ignoras te ipsum Phaedrum esse*, non esset ineptus. Item, si proverbium erat *Ignoras dulcem angulum*, dummodo ignorantiam aliquam per proverbium hic opprobrare Phaedro vellet aut posset, recte rem ignoratam latius paullo describere poterat, ita quidem, ut ostenderet, quale re vera esset id quod ignoraret Phaedrus. Nobis vero, qui proverbium non ultra *dulcem angulum* extendimus, multo minus displicere potest additamentum, quod quidem dictionem obscuriorem illustret, et quomodo intelligenda, quemque ad finem directa sit, ostendat. Certe eum, qui supra comme-

moratum illud de Dionysio amplificans diceret: *Dionysius ille Corinthi fugere te videtur, qui ex tyranno potentissimo ludi magistellus est factus,* non inepte ancipitem tyrannorum fortunam ante oculos ponere arbitraremur. Alterum autem, quod affert Heindorfius, etiam levius est. *Ipsa haec particula ὅτι,* inquit, *Glossatoribus familiaris, fraudem arguit, adeo utique manifestam, ut verbum addere pigeat.* Nae multa ex scriptis veterum eiicienda sunt, si omnia quae possunt a glossatoribus profecta esse, continuo iis tribuenda, scriptoribus abiudicanda putamus. Magna hic quum omnino tum in eo scriptore opus est cautione, qui, ut Plato, linguae suae naturam et rationem probe perspectam habet, et veritatis imaginem, seu potius veritatem, quam lingua expressam intelligit, non solum ipse in scribendo ubique sequitur, sed etiam occasione data defectiones a veritate et errores temporis progressu in linguam illatos notat et corrigit. Ab eiusmodi scriptore, praesertim incipiente, non debet absurdum videri, interdum obscuriorem vel ambiguam dictionem, vel vulgo male intellectam explicari, etiamsi res ipsa explicationem non postulet, modo ne inepte cursum orationis interpellet, aut aliud gravius agens grammatici persona induta risum lectoribus moveat, quomodo nuper quidam famae et capitis caussam agens etymologiis venandis ridiculum sese praebuit. Probabile huius generis exemplum in nostro dialogo exstat, ab eodem Heindorfio male tentatum, p. 242. A, ubi Phaedrus Socratem abiturum retinet his verbis: *Μήπω γε, ὦ Σώκρατες, πρὶν ἂν τὸ καῦμα παρέλθῃ· ἢ οὐχ ὁρᾷς, ὡς σχεδὸν ἤδη μεσημβρία ἵσταται, ἡ δὴ καλουμένη σταθερά;* Heindorfius quatuor extrema verba, ut glossam, eiecit; Bekkerus recte retinuit. Continent autem veram notationem dictionis *μεσημβρία σταθερά,* quae iam tum videtur a nonnullis ad verbum *σταθεύειν* relata fuisse. Sed nostro loco non est additamentum, quod, ut tolerabile sit, tamen abesse possit, sed necessaria interpretatio, qua omissa ne Phaedrus quidem intelligere potuisset, quid vellet Socrates. Id apparebit, ubi de sensu proverbii constiterit. Heindorfio quidem, qui primum in describendis finibus proverbii, deinde in eo explicando erravisset, illa non poterant non spuria videri, quum nulla ratione ad suam interpretationem accommodari posse intelligeret. Nobis autem, quum in omnibus codicibus, paene sine ulla varietate, exstent, ob id ipsum non solum retinenda esse, sed etiam firmissimum contra Heindorfii explicationem argumentum praebere videntur.

Cum Heindorfio Schleiermacherus facit ita, ut et proverbium fuisse statuat *γλυκὺς ἀγκὼν λέληθέ σε,* et ne verba *ὅτι — ἐκλήθη* spuria sint,

vereatur. Codicum enim consensu motus a prioris sententiae rigore paullulum deflexit. Proverbium in eum dictum esse putat, qui ignoret aliquid, quod, etsi non palam ostentetur, tamen plerisque notum sit. Atque ita non inepte dici potuisse a Socrate in Phaedrum, qui nesciret, quod minime scitu difficile esset, concedimus. Veruntamen si appellatio dulcis anguli ab angulo Lydorum, de quo retulit Athenaeus, ad alias res ignoratas traducta fuit, quae Schleiermacheri opinio est, eas res pariter atque angulum istum turpitudine aliqua insignes, ob eamque notas quidem omnibus, sed a sermone et colloquio remotas fuisse necesse est. Ex eo autem genere simulatio optimatum, de qua hic agitur, non videtur fuisse. Praeterea verba ὅτι — ἐκλήϑη nullo modo conciliari cum hac interpretatione possunt.

Omnium maxime improbabilis est Astii opinio, qui in Commentariis p. 342. proverbium dici solitum esse existimat in eum, *qui rem aliquam non videret ab altiore et universa esse origine repetendam, vel malum esse universum. Ita Grammaticorum,* inquit, *licet diversissimae explicationes facile in unam sententiam copulantur. Γλυκὺς ἀγκών, de Nili brachio illo, navigantibus difficili dictum, non lepidum et suave (γλυκύς), sed magnum ipsius Nili brachium seu flumen significat; itaque maius quiddam et altius, quam sola verba indicant, proverbio illo innuitur; similiter γυναικῶν ἀγκὼν et γλυκὺς ἀγκὼν malum significant non ab unius vel rei vel personae pravitate vel difficultate derivandum, sed ab universa quadam et altiore calamitate repetendum.* Hic primum reprehendendus est, quod verba λέληϑέ σε ad proverbium traxit, deinde quod non intellexit, neque adiectivum γλυκύς, quod ipse cum Grammaticis per antiphrasin dictum putat, et si mali significationem proverbio tribuit, putare debet, simul significare posse parvum quoddam et lepidum, quod per novam scilicet antiphrasin magnum et crassum sit, neque substantivum ἀγκών, si locum calamitate aliqua vel periculo insignem denotat, etiam partem minorem, quae rursus per antiphrasin de toto quodam et universo intelligenda sit, posse indicare, unde efficitur, proverbium ita dici non potuisse, ut Astio visum est. Si tamen ita dictum fuit, hoc loco abstinere eo debebat scriptor. Certe sensus non potest esse hic, quem Astius putat: *Falleris, o Phaedre, si opprobrium illud putas in solos rhetoras valere, quasi non omnes, ideoque etiam politici, hoc scribendi morbo laborent; nam morbus hic solummodo eam ob caussam facile perfertur, leniusque nomen invenit (γλυκὺς dicitur), quia universus est (γλυκὺς ille, ut dicitur, ἀγκὼν re vera est μακρὸς ille κατὰ τὸν Νεῖλον); praeterea hoc quoque te fugit, omnium maxime ipsos*

politicos, quos censes scribendi consuetudinem rhetoribus obiicere, hoc laborare morbo. Nam, ut supra demonstravimus, non id nunc agit Socrates, ut scriptionem reprehendat, aut eos qui scribendo delectentur, morbo laborare doceat, sed illos ipsos, qui scribendo operam dantes contemnere videantur, et ab ea re alieni velint haberi, quammaxime eam appetere contendit. Atque ipse Astius, quum in Additamentis ad Commentarios in Phaedrum, quae Civitati Platonis a se editae subiecit, p. 662, in interpretatione sua perstitisset, et *malum grave quidem, sed commune et necessarium* indicari proverbio repetisset, duosque ex Libanii Epistolis locos, qui nihil efficiunt, attulisset, in notis ad versionem, p. 228, tacite palinodiam cecinit, et Heindorfii suspicionem de verbis ὅτι — ἐκλήθη, cui codices et Bekkerum adversari videret, suo calculo comprobans, et glossam latius extendens, sic Platonem scripsisse coniecit: *Γλυκὺς ἀγκών! ὦ Φαῖδρε· ἦ λανθάνει σε, ὅτι οἱ μέγιστον* etc. Quod quomodo placere potuerit viro doctissimo, eo magis mirandum est, quod iam intellexerat, veram esse interpretationem proverbii, quam omnes Grammatici, uno Suida *) excepto,

---

*) Suidas negat per antiphrasin interpretandum esse proverbium: *Γλυκὺς ἀγκών· οὐ κατ' ἐναντίωσιν ἡ παροιμία, ἀλλὰ βουλόμενος εἰπεῖν, ὦ γλυκεῖα ἤθη. Ἔστι δὲ παροιμία ὡς ἐπιφωνούμενον. Οὕτως ἐχρήσατο Πλάτων ὁ Κωμικὸς ἐν τῷ Φάωνι. Γέρων δ' αὐτῷ ὑπόκειται ἐρῶν αὐλητρίδος·*

ὦ χρυσοῦν ἀνάδημα·

ὦ τοῖσιν ἐμοῖς τρυφεροῖσι τρόποις· ὦ γλυκὺς ἀγκών.

ὡς εἴ τις λέγοι, ὦ γλυκὺς πῆχυς. Hic locus tantum abest, ut sententiam reliquorum Grammaticorum falsam esse ostendat, ut eam confirmet. Blandiens amatae senex effusae in amorem rei familiaris memor ironice eam *γλυκὺν ἀγκῶνα* appellat. Astius hic quoque partem veri vidit.

Obiter hic commemorare iuvat suspicionem viri doctissimi, A. Meineke, qui in Curis Criticis a. MDCCCXIV editis, p. 40, ad hunc Platonem respexisse putat Phrynichum eo loco, quem Ruhnkenius ad Timaeum, p. 20. et Im. Bekkerus in Anecdotis, T. I. p. 23. publicarunt, et *Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι* scripsisse, non *Πλ. ἐν τῷ Φαίδωνι.* Id valde probabile est. Nam quod Ruhnkenius existimabat, Phrynichum memoriae

tradidissent, et *γλυκὺν ἀγκῶνα* dici quamvis rem, quam quis contrario nomine appellet, quam sentiat, et primum quidem atrocem, quae leni vocabulo mitigetur, deinde etiam bonam, quam quis per irrisionem, sive quod assequi eam non possit, sive aliam ob caussam, dura et infelici appellatione notet. Optime Hesychius: *Γλυκὺς ἀγκών. παροιμία, ἣν φασιν* (ita utique scribendum, non *φησιν*) *εἰρῆσθαι ἀπὸ τοῦ λεγομένου μακροῦ ἀγκῶνος ἐν τῷ Νείλῳ, κατ' ἀντίφρασιν· εἶναι γὰρ δυσκόμιστον διὰ τὸ ῥεῦμα, καὶ ἀηδῆ· ὅθεν λέγεσθαι τὴν παροιμίαν ἐπὶ τῶν αἰσχρόν τι δοκιμαζόντων, ἐπαινούντων δὲ ὡς καλόν. ἢ τοῦ ἐναντίου* (fortasse scribendum *τοὐναντίον*) *σπουδαῖον μὲν ἡγουμένων, χλευαζόντων δὲ ὡς φαῦλον.* Iam si Phaedrus dixisset, potentes et nobiles in civitate viros suam conditionem propterea quod a scribendo remoti sint, nullosque ingenii sui fetus ad posteros tradi patiantur, quibus olim Sophistarum nomine possint notari, prae conditione eorum, qui scriptores sint et dicantur, felicem praedicare, fortasse nihil addidisset Socrates ad explicandum proverbium, quod facile intelligere potuisset Phaedrus dictum esse de iis, qui conditionem duram suam et tristem nomine bono ac laeto tegunt et dissimulant. Sed dixerat pudore eos retineri a scribendo, et librorum compositionem atque ad posteros propagationem propter turpitudinem eius rei aversari. Itaque non supervacaneum erat, rationem proverbii, quod a dissimulatione turpitudinis ad simulationem transtulisset, hoc modo explicare: *Ignoras, saepissime aliter loqui homines, aliter sentire, ut quum dulcem dicunt angulum, qui in proverbio est, qui minime dulcis est, et a diversae indolis angulo originem traxit.*

At, inquit, quaenam est diversitas inter *dulcem* et *longum* angulum? Profecto non ea, ut per antiphrasin dici possit dulcis, qui longus est. Atqui per antiphrasin et veteres Grammatici dulcem angulum dictum esse

lapsu Phaedonem pro libris de Legibus laudasse, et post locum Aeschyli, in quo verbum *ἀκταίνειν*, de quo sermo est, barytonum sit, significare voluisse locum Platonis Philosophi de Legibus, Lib. II. p. 672. C. ed. Steph., ubi legerit *ἀκταινώσῃ* pro vulgato *ἀποκτείνῃ*, id propterea non est credibile, quod *ἀκταινώσῃ* ibi ineptum est. Scripsisse Philosophum *ἀπακτήνῃ* (*ἑαυτό*) nos olim coniecimus, neque nunc eius coniecturae poenitet, quamquam Bekkerus *ἀκταινώσῃ* recepit. Assensus nobis est Schneiderus, V. C., et verbum *ἀπακταίνειν* in Lexicon suum intulit.

tradunt, et nostro loco convenire talem interpretationem vidimus. Itaque pro *μακροῦ* scribendum est *πικροῦ*. Omnino *μακρὸς ἀγκών* quid sit, cogitari non magis potest, quam *longus angulus*. Nam Wagnerum quidem nihil moramur, qui *ἀγκών* et eius familiae nomina primum *directum* significasse contendit, non ostendit. (Metrik. von A. Apel. T. II. p. 651.) Hermias autem utrum *πικροῦ* legerit, an, quae Astii sententia est, verba *ὅτι* — *ἐκλήθη* in Platone suo non invenerit, vel puer diiudicet. Verba Hermiae haec sunt: *Γλυκὺς ἀγκών. Παροιμία ἐστὶν αὕτη. Τόπος ἐστὶ τῆς Αἰγύπτου τις οὕτω καλούμενος, ὅπου δυσχέρεια πολλή ἐστι. Κατὰ ἀντίφρασιν οὖν εἴρηται διὰ τὸ δυσχερὲς τοῦ τόπου γλυκὺς ὁ τόπος. Ὧδε οὖν κατὰ τὸ ἐναντίον τῆς παροιμίας καὶ τὸ ἀνάπαλιν εἴρηται. Παροιμία μὲν οὖν εἴρηται ἐπὶ τῶν κατὰ ἐναντία λεγόντων, ὧν βούλονται. Τοῦ γὰρ λογογραφεῖν ἐρῶσι, καὶ βούλονται τοῦτο ποιεῖν, καὶ ἐπαινετὸν ὂν αὐτὸ αἰσχρὸν λέγουσι καὶ ψεκτόν, οὐχ οὕτω διακείμενοι. Ὃ λέγει οὖν τοῦτό ἐστιν· ὅτι, ὥσπερ ἐκεῖνο λέληθε, πόθεν ἐκλήθη γλυκὺς ἀγκών, δυσχερὴς ὢν καὶ πικρὸς* (Goth. *πυκρὸς*) *ὁ τόπος, οὕτω καὶ τοῦτο λέληθεν, ὅτι αἰσχρὸν ἐκλήθη τὸ λογογραφεῖν, ἐπαινετὸν ὂν καὶ καλόν.* Iam de origine proverbii non amplius dubitandum, quin a flumine Nilo repetendum sit. Nec magis dubium, quin dulcis hic angulus, qui tam diu latuit, idem ille sit, quem Herodotus descripsit Lib. II. cap. 99: *ἔτι δὲ καὶ νῦν ὑπὸ Περσέων ὁ ἀγκὼν οὗτος τοῦ Νείλου, ὃς ἀπεργμένος ῥέει, ἐν φυλακῇσι μεγάλῃσι ἔχεται, φρασσόμενος ἀνὰ πᾶν ἔτος· εἰ γὰρ ἐθελήσει ῥήξας ὑπερβῆναι ὁ ποταμὸς ταύτῃ, κίνδυνος πάσῃ Μέμφι κατακλυσθῆναί ἐστι.*

Atque haec quidem hactenus. Nunc ad laetissimam huius scriptionis occasionem conversi celebrandum indicimus diem illum, quo natum nobis Regem optimum gratulamur. Celebrabitur autem ab Academia nostra Oratione solenni et renunciandis nominibus eorum, qui e certamine literario, Regis munificentia ornato, victores prodierunt. Quibus rebus hora locoque solenni peragendis Curatorem Academiae Excellentissimum, Proceres civitatis, qui in hac urbe degunt, gravissimos, Commilitones generosissimos, ut interesse velint, ea qua par est observantia rogamus, invitamus.

Datum Vratislaviae prid. Cal. Aug. MDCCCXIX.
